


Lauverjat, Thiébaud-Etienne -
candidat / Botentuit Langlois,
Pierre-Mathurin - président. - An utilia
in graviditate, partu, et post partum
balnea ?


1774.

*Paris : Typis Michaelis Lambert,
Regii Chirurgiae Collegii
Typographi, viâ Cithareâ,
Cote : ms 2344, n°12*



1774






AN UTILIA
 IN GRAVIDITATE,
 PARTU, ET POST PARTUM
 BALNEA?
 THESES
 ANATOMICO-CHIRURGICÆ,

QUAS, Deo juvante, & præside M. Petro-Mathurino BOTENTUIT LANGLOIS, Artium liberalium & Chirurgiæ Magistro, in suprema Senatûs Curia Patrono, necnon Scholarum Chirurgiæ præcticarum Professore, tueri conabitur Theobaldus-Stephanus LAUVERJAT, è Vastinio Aureliano, Diœceseos Senonensis, preclara Artium Facultatis Magister in alma Universitate Parisiensi, necnon Antiquus Legionis Lemovicensis Chirurgus primarius, Theseos Auçtor.

PARISIIS,
 IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

*Die Sabbati 11^a mensis Junii, Anno salutis 1774,
 à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.*

PRO ACTU PUBLICO
 ET MAGISTERII LAUREA:



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ Collegii
 Typographi, viâ Cithareâ.

M. DCC. LXXIV.


AN UTILIA
IN GRAVIDITATE,
PARTU, ET POST PARTUM
BALNEA?
THESES
ANATOMICO-CHIRURGICAE.

Quas, Praesente & Praefate M. P. de Medicis Botenit
Lancolis, Artium Liberales & Chirurgiae Magistro, in
Sensu Quae Praesentis, necnon Scholae Chirurgiae
Professore, tunc Praefate Theobaldus-Stephanus LAURERAT,
Magistro Artium, Doctoris & Canonici, praesentis Artium
Magister in omni Universitate Parisiensi, necnon Artium
Anatomicae Chirurgiae primarius, Theodorus Hador.

PARISIIS,
IN REGIS CHIRURGICORUM SCHOLIS,

Die septima mense Junii, Anno salutis 1774,
A Josepho-Scaldis post mortem eius Praefatum

PRO ACTU PUBLICO
ET MAGISTERII LAUREAE.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiae Collegii
Typographi, via Citharata.

=====
M. DCC. LXXIV.

DD. MARCO-ANTONIO C*

Equiti, Regi à Consiliis, uni ex Ærarii Præfectis,
in æternum grati animi monumentum.

*T*UUS ergà me singularis amor, Vir Illustrissime,
necnon amice; tua mihi feliciter consulens benevolentia,
ac præsertim tuæ animi dotes eximiæ, jamdudum me-
morem me gratum suscitabant, ut ea omnia à naturâ
sponte ingenita laudibus extollendi & prædicandi

A ij

avidus ac libens occasionem arriperem : tua verò modestia pertinaciter vetabat nefas, & altiori obruere silentio virtutes imperabat ; quarum tamen admirator & amator assiduus, cum infra me habeam causas ambitionis, quæ ducerent ad obsequium, quod denegare in animo semper habuisti, hanc solummodò Thesim, te annuente, aut potius meis precibus indulgente, non nomini, non splendoribus, quos geris titulis, sed tibi tuoque potissimum candori, morum tuorum mansuetudini, tuo Literarum & imprimis felicitati publicæ inservientium scientiarum amori, ipsi demùm reformidanti modestiæ munusculum hoc, tam jucunda quæ sublevare amas, laborum meorum præmia, dicare & consecrare ausus sum.

TH.-STEPH. LAUVERJAT.



D. O. M.
T H E S E S
ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

I.

MULIER juncta viro, liberos vulgè procreat. Quomoddò autem fit conceptio? Hæc quæstio, etiamsi ingeniosa de hæc re commenta finxerint auctores celeberrimi, crassiori adhuc involvitur caligine. Omisiss itaque veterum atque recentiorum circa conceptionem (1) figmentis, fœtum ex utriusque sexûs feminis misturâ oriundum censemus. Cæterùm veneris æstu perciti mas & fœmina copulantur; indè graviditas & partus de quibus nemini dubitare licet.

Graviditas legitima, ea est quâ punctum primâ origine mucilaginosum, seu germen fœtale in propriâ uteri cavitate, vivens existit (2).

De Concep-
tione.

De graviditate.

(1) Generationis nomine, conceptionem omnes impropriè nuncupant auctores.

(2) Aliter ab auctoribus definitur; sed effectum (abdominis scilicet & uteri intumescenciam) tanquam causam nobis assignant. V. Doct. Mauriceau, p. 164 Editio Latine edita. V. celeb. Levret, p. 50, l'Art des Accouch. & omnes fermè auctores.

Primis graviditatis instantibus, quædam in utero remanet vacuitas (1); brevi à contento repletur (2), ex omni parte tanguntur ipsius parietes, quorum fibræ perfectâ quiete gaudebant, ut se habent omnes elastica partes à causâ extraneâ non distentæ.

Uteri evolutionis.

Difficultas evolutionis.

Evolutionis defectus.

Ex uterinae evolutionis defectu, fœtus perniciosus.

Germen fœtale, ejusque secundinæ sensim ac sine sensu adaugentur; quod fieri non potest quin in uteri parietes agant, ut à se invicem recedant; sed plûs minûsve resistunt; à fœtu tamen, seu potentiâ incrementæ, sæpè sæpius vincitur eorum resistentia, & quò magis crescit germen seu fœtus, eò magis evolvitur, & uterus, & ipsius collum. Quibus positis; ad legitimum usquè gradum pervenit graviditas; sed potentiam quandòque superat resistentia, & tunc quocumque graviditatis decursu, in matrem & fœtum innumera ingruunt mala; à solo enim uteri evolutionis defectu, trucidari potest, & sæpius trucidatur fœtus; nec nisi post interitum, elapsis quidem aliquot diebus, aliquot annis, quandòque expellitur (3). Quam opinionem omnes rejiciunt auctores; illud enim inter ipsos convenit, quando uterus qui fœtum continet, ulterioris extensionis impotens fit, ipsius fibras irritari, confestim ad contractionem incitari, & exindè fœtus vivi partum fieri præmaturum (4), si extinctus; huic causæ mortem nullo modo tribuunt. Ille error à causâ parturitionis primariâ ab illis ignotâ, oritur.

Uteri rupturæ causa.

Si fortè non interficitur embrio, in corporis & fundi fibras evolutas incrementæ agit, illasque extendit eò usquè dum rumpentur. Ea est, aut esse potest occulta sæpius rupturæ uteri causa.

Pregnantis accidentia.

ACCIDENTIA quibus plerumque conficitatur prægnans, importuni sunt in utero dolores; indè cibi boni moris fastidia, ingrati appetentia, nausea, necnon vomitus; dolent renes, mammae, femora &

(1) Excepto tamen conceptionis instanti.

(2) V. Doct. Mauriceau, p. 72. Deventerum, p. 37. celeb. Leyret, l'Art des Accouch. p. 58.

(3) Observaciones habemus in graviditatibus, Senonensis, 1582. Tolosana, 1620. Leinzel in Suavia, 1720.

(4) Præmaturus partus ab omnibus abortio immeritò dicitur. V. Aphor. de Chirurg. d'Herm. Boerr. par Van-Swieten, p. 245, Tom. 7, &c.

crura. Ingentes evadunt prædicti dolores, diris & horrendis sæpè convulsionibus exagitur mulier, apoplexiâ quandoque opprimitur (1), sæpius tamen à fœtûs morte; quæ prolata patiebatur symptomata, fit tranquilla, & ad nonum diem, ad sextam aliquandò, sed perrarò, hebdomadam, hæc quies prorogatur: eo tempore nondùm elapso, vel albi, vel rubefcentes, vel rubri denique è sinu materno dimanant liquores: peracto tandem minimos dolores experitur prægnans, augetur fluxus; graviore suscitatur dolores; ingens fit hæmorrhagia, & sic vicissim usque dùm omnibus orificiis interni, colli, necnon oris externi parietibus à cruore sat laxatis, facilem fœtûs egressui viam præstent; indè fœtum præmaturum, sed exanimatum victor tandem expellit uterus (2).

Ex acciden-
tium summa
signa deducuntur.

Si fœtûs egressui acriter obstant parietes, horrendum rapidumque sanguinis vulvâ ruit profluvium: debilitatur prægnans; pallefcit ipsius facies, pallefcit & totum corpus, quibus succedunt aurium tinnitus, horripilationes, motus convulsivi, animi deliquium, improvisâ tandem morte extremam exhalat vocem mulier (3); si fortè mors non advolat (4), innumeris saltem in posterum morbis affligitur (5); invalidam degit ætatem; cachexiâ, hydrope sæpè laborat (6); languentem, tædiosam sæpius animam trahit, & demittit.

Sed undè tanta malorum in utero sano copia, nisi à nimiâ fibrarum validitate, rigescentiâ collique evolventi resistentiâ, ex quâ evolutionis uterinæ difficultas & defectus.

(1) Quod vidi, testor.

(2) Non nisi fluxûs cujusmodicumque absentix causâ, fœtum in materno carcere per plures annos fuisse retentum asserere nullo modo dubitamus.

(3) V. Aphor. de Boerr. par Van-Swieten, 1303. p. 121, 122, & seq. Tom. 7. celeb. Levret, p. 282, Art. 12. Obs. 42. D. Smellie, Tom. II. P. 259.

(4) Sunt obstetricantes qui raræ mortis causâ omnia naturæ confidunt; erronea est illa methodus.

(5) V. celeb. Levret, p. 191, 192. Essai sur l'abus, Aphor. de Boerr. par Van-Swieten, p. 130, 131, Tom. VII.

(6) V. Aphor. de Boerr. par Van-Swieten, p. 130. Tom. VII. Plures ego novi quæ hæmorrhagiæ in casu prædicto causâ, pluribus mensibus lecto incubuerant.

Ex prædictâ causâ foetus mortem denegant omnes; ad illam debellandam, viam tutiorem abnuentes, in remediis incertis, & quidem noxiis, matris & foetus spem salutis omnem sæpius reponunt.

Uterinæ evolutionis defectus ab auctoribus curatio.

Alii enim, ut foetus abortioni præcaveant (1), perfectam, & absolutam tantum quietem suadent. Hi diluentibus, refrigerantibus, necnon in menses iteratæ sanguinis missionis fiduciam habentes (2); multi pro variis rerum circumstantiis, incertam, falsam sæpius suspicantes causam, dubia frequentius proponunt remedia; nonnulli fumigantia, fomenta, linimenta, unctuosa, oleum calidum, &c. indicant (3). Alii tandem & ultimi omni spe orbati, feliciorum graviditatem eventumque stupendâ inertiam spectare videntur.

Evolvendi uteri facilitatis causâ balneorum utilitas.

Omnes remedium salutarum magis & certum omiserunt. Enimvero quid imprimis agendum? Ut scilicet uteri fibræ ipsæque collum relaxentur. Sed quodnam ad id, præstantius auxilium? Balneum profusum, aut semibalneum. Quoties enim solo illo remedio, frustra aliis antea adhibitis, labefactantis graviditatis periculum imminens amovimus, & ad finem usque, aut circiter adduximus? (4)

Pregnantes itaque vitio uteri jam dicto, accidentibusque prælibatis obnoxie, in balneum nullâ morâ demittentur (5); à balneo enim resis-

(1) Abortionis nomine, partum præmaturum immeritò intelligunt omnes; nos verò foetus in utero perniciem volumus; auctorum tamen expressionem, ad intelligentiæ facilitatem, hic servamus.

(2) V. Lamotte, Tom. I. p. 538 & suiv. refrigerantia potius nocent quàm inserviunt. Frequentior sanguinis missio foetum sæpius interimit; aut præmaturum partum suscitât.

(3) V. Hypp. de morbis mulier. Lib. I. Cap. XXXIII. Charter. Tom. VII. p. 749. Aphor. de Boerr. par Van-Swieten, 1313, p. 248. Tom. VII.

(4) Cùm mulier quæ incipiente sexto mense, foetus extinctos quinquies pepererat, rursùm concepisset; ad virandam foetus perniciem, & tempore solito tuendam graviditatem; 38°. balnea, meo consilio, adhibuit. Hoc solo remedio, ad octavam usque, & semimensem evoluitur uterus, foetusque vivens expellitur.

(5) Dummodò scilicet absit hæmorrhagia; balnei enim munus adimplet.

tentes

tentes ad arbitrium relaxatæ partes (1), fœtui incrementi facillimè obtemperant.

Quod de uterinæ evolutionis defectu, à fibrarum rigescentiâ, collique resistantiâ oriundo, (utero scilicet sano) de ipso morboſo carcinode, v. g. calloſo, &c. à fortiori dicendum eſt. In aquis tunc, ut ita loquar, ætatem agat mulier (2); ſeniores, juniotesque quàmſepiſſimè immergantur. Quo felici, & ad normam ſapientiæ ſancito remedio præmaturum fieri partum nemo profiteri audeat. Id enim nunquam infeliciter nobis ſucceſſit; fauſtam è contrâ graviditatem, proſperum tempore ſolito partum, fortunata denique puerperia ſemper prænuntiat, ipſiusque incommoda removet, ac proindè remedium illud in caſu prædicto nunquam ſat propalari poteſt (3).

I V.

Partus ea eſt functio quâ ex uteri cavitare, quoquo graviditatis termino, quolibet ſitu, quaquâ viâ, quocumque niſu, in lucem editur fœtus.

De Partu;

Vel ſolis uteri, vel obſtetricantis, vel utriusque tandem collectis aut ſejunctis viribus partus abſolvitur.

Synopsis Partus.

Si tantummodò fit uteri impetu, expellitur; ſi ſolo obſtetricantis conatu, extrahitur; ſi utriusque conjunctis aut ſeparatis viribus; expellitur partim, partim extrahitur fœtus.

Quibus præmiſſis, partus dividatur neceſſe eſt: tres idèd ratione virium habitâ ſtatuendæ veniunt partus ſpecies.

Prima comprehendit partus qui *expulſione*; ſecunda, qui *extraçtione*; tertia, qui partim *expulſione* partim *extraçtione* peraguntur. Hi *mixti*, ſeu *combinati* à nobis vocitantur.

(1) Ut omnes relaxentur uteri fibræ, in ſanandis graviditatibus ut ait auctor, *ſalfis*, balneum ſuadet celeb. Levret, l'Art des Accouch, p. 201. Aphor. 1096.

(2) Quò recentior eſt graviditas, eò minùs timendum; proveçtâ verò, balneo prudenter utatur ægra.

(3) Balneum ad morbos mulieris gravidæ curandos, minimè verò ad evolutionem uteri ſuppeditandam ſuadet celeb. Levret, V. Eſſai ſur.... p. 66.

In *faciles, difficiles, simplices, compositos, & complicatos* omnes subdividuntur. (1)

Facilis dicitur primæ speciei partus qui intrâ 24 horarum spatium absque diris doloribus perficitur. Sin aliter, *difficilis* abit.

Simplex, si ex uteri cavo unicus egreditur fœtus.

Compositus, si plures.

Complicatus, quandò incommoda, tum à matre; sanguinis scilicet profluvium, motus convulsivi, lipothymix, &c. tum à fœtu; partium, v. g. complicatio, funiculi compressio, &c. eum concomitantur.

Partus secundæ speciei, seu extractione peractus, *facilis* fit quandò quâcumque fœtus parte præviâ, modo Agrippino, vel altero, insciâ matre, conficitur; si fiat via vi, *difficilis* audit.

Simplex, qui nudâ obstetricantis manu celebratur.

Compositus, qui cum armatâ manu absolvitur.

Complicatus, in quo adsunt accidentia, matrem, aut fœtum, utriusquæve minantia.

De tertiâ specie, seu de *mixto* idem omninò dicendum.

V.

CUM partus in omnibus laboriosissimam significat functionem, tum in validis præsertim, & robustis mulieribus. (2)

De necessa-
riis ad Partum
rationibus.

Harum itaque status tunc febrilis est, ardescens, & ferè omninò convulsivus, omnesque & imprimis generationis partes, ingurgitatione; vividiori aut debiliori calore, & rigescentiâ, pro variis rerum circumstantiis afficiuntur. Enimverò pulsum validum, & agitatum, necnon omnem corporis peripheriam urentem sentit; linguam arefcentem aridamque sæpè tangit; oculos micantes aspicit obstetricans; imò invalida mulier stupendas explicat vires (3); indè lethalia, & vitanda tam in partu

(1) A divisione receptâ discedimus, quia in auctorum definitione & divisione manifestam contradictionem animadvertimus.

(2) Sic sentit celeb. Levret. V. l'Art. des Acc. p. 102. 427. aliter verò Auctores Doct. M. p. 178. clarif. Lamotte, p. 335. Lazar. Riverius, p. 223. & seq. illustrif. & sagacif. de Haller, p. 421. Element. Physiol.

(3) V. Van Sw. p. 336. T. VII, illustr. de Haller. Elem. Phys. p. 439.

quàm post partum accidentia ; convulsiones scilicet , apoplexia (1) , suppressio , inflammatio , abcessus , gangræna , &c.

Ut partus vulvalis primæ speciei haud ægrè absolvatur , ac proinde accidentia præcaveantur innumera ferè sunt rationes , quas omnes , brevitatæ causâ , non exprimam ; ad duas tantùm confugiam , uteri scilicet actionem aditumque mollem quo fœtus egredi possit.

Actionem uteri ad fœtum expellendum merè muscularem esse ab ævo nostro contendunt omnes , eamque ab irritatione quam primariam partûs causam , quamque ex summâ uteri fibrarum extensione proficisci dicunt , semper suscitari prædicant (2) : utramque tanquam necessariam jam dudùm abnuimus ; usu enim quotidiano , tot & tanta videmus exempla , quibus contractionum absentiam , aut saltem debilitatem , tam facile est asserere , ut illius necessitati confidere non possimus. Longè à nobis abeat irritatio prædicta ; nunquam uteri actionem per se , & immediate suscitavit ; non nisi tanquam causa remota debet ad summum considerari ; si in partu se prodit , in partu potiùs incommodum evadit , nullo modo causa. Enimverò quò validior sit utraque causa modò allata , eò difficilior in omni casu partus exsurgit ; experientia enim constat validiores , cæteris paribus , difficiliùs quàm debiliores parturire (3) ; attamen in primis maxima viget uteri actio (ex auctoribus contractio) , in aliis verò debilitatur ; in frigidis regionibus energiae fi-

De Partûs
ex Auctoribus
causâ.

(1) Juvenem & validam convulsionibus & apoplexiâ enecatam animadverti.

(2) V. Doct. Mauriceau , p. 137. Edit. lat. edita. Amand. p. 3. deuxième Edit. illustr. Puzos , p. 23. Heister , p. 537. T. I. insign. A. P. D. M. P. sur la cause & le méc. de l'acc. p. 106. Celeb. Levret , p. 86. & 91. de l'Art des Acc. Mém. de Chirurg. III. p. 221. Ræderer. p. 41. & seq. De fibris muscularibus dubitat illustr. de Haller , Elem. Phys. p. 438. uteri verò contractionem admittit ; sed non nisi quandò caput in vaginâ ad expediendum partum aliquid conferre quandoq ; &c. incipiente partu respirationem solam valere suadetur. D. Puzos , p. 440.

(3) Nostra opinio nonnullis modò arridet , modò displicet ; in scriptis enim mulieris debilitatem tanquam partûs difficilis causam prædicant ; dùm in praxi ad hujus facilitatem parturientis vires debilitant. V. Doct. M. p. 163. 164. 178. celeb. Lamott. p. 335. & 378. Lazar. Riverium , p. 223. 224. illustr. Smellie , p. 346. & seq. illustr. Puzos , p. 117. 122. Aph. de B. par Van-Swie-ten , p. 60. 232. 233. 247.

De noſtra
Partus cauſa.

brarum cauſa, difficiliùs quàm in aliis, parturiunt mulieres (1) ; quænam igitur primaria ſeu efficiens partus cauſa? Quænam partui favet? Omnem nos uteri elãſticitati, tanquam primariæ partus cauſæ, partiumque mollium imbecillitati, tanquam partui faventi fiduciam habentes, non niſi duplicem hanc cauſam ad partum abſolutè neceſſariam admittimus; ſi aliæ adſint, eas in auxilium modò venientes confirmemur.

Ex quibus ſedulò perpenſis, rejecto tanquam noxiis irritantium omni genere remediorum, alimentorumque ratione, ut uteri evigiletur actio, plenam fidem omnibus relaxantibus concedas: quandò enim partium quas permeaturus eſt fœtus, adefit debilitas, ſemper ad partum primæ ſpeciei vel minima uteri ſufficit actio; ſi torpeſcentem videas (2), inefit certè repagulum quoddam quo fœtus retinetur. Quæras illud & deſtruas? Subitò ſui juris eſt uterus, & fœtum abſque ullo irritante expellit; quod quidem tam ſæpè annotavimus, ut in dubium revocare nos fugit. Plurium parturientium ſublevandarum cauſa accerſitus fui, quarum à multis jam diebus dolores omninò evanuerant, quarumque uteri inertiam prædicabant aſtantes omnes; errorem prædico; reverà obice à me investigato, ſubitòque manu, vel ſolis ſæpiùs relaxantibus victo (3) facillimè & ſolo uteri niſu parturierunt mulieres. Multis tamen irritantia remedia, roborantiaque alimenta, vel prodigà manu ſuppeditabantur.

Itaque ut omnes primæ ſpeciei partus facilè conficiantur; quas fœtus prætergredi partes cogitur, relaxare ne dubites: ſæpiùs mollibus quàm duris partibus retardatur partus; ſic à nobis fuit comprobatum; ſic ab occultatiſſimis quoque comprobandum eſt. Quo major enim earum

(1) V. Hypp. de aère, locis & aquis ch. T. VI, p. 191.

(2) Stupenda certè res à relaxantibus putà balneis, venæ ſectionibus, &c. uterum exhaustum reſici quofdam contendere Auctores. V. Theſim amiciffimi noſtri Solayres; ſi ad partus facilitatem hæc ſufficiant; minimè, quia exhaustus reſicitur uterus; ſed propterea quòd tunc relaxatis oriſicii vaginæque, &c. parietibus qui ſolummodò obſtabant, facilem ſubitò fœtui viam præſtent.

(3) Si anguſtiarum ſuperiorum labro tantillùm nititur caput; v. g. vel ſola vel inſtrumento armata requiritur manus: ſi à partium mollium rigefcentiã, quæ ſufficit ut torpeſcere videatur uterus cujus maxima viget actio; tunc relaxantia ſolummodò adhibeantur.

vis, rigiditas, siccitas, tensio, necnon calor; eò longior, laboriosiorque partus (1); quod in parturientibus validis, junioribus, & senioribus, nulloquidem alio stante, tum à matre, tum à fœtu obstaculo, quotidie videre juvat, numquam verò in debilibus, & invalidis; quid dicam! in moribundis, imò in mortuis. Tot & tanta hujus veritatis apud auctores ab opinione meâ longè discedentes, allata disseminantur exempla, ut ab ipsis, hæc mea assertio negari non possit (2); itaque incipiente legitimo partûs labore, partes matris à fœtu perlustrandæ semper relaxentur, parturientesque, validæ scilicet, & robustæ, in balneum mucilaginosum immergas, illudque remedium salutiferum maximè indubitatum pro certò habeas. Facilem felicemque partum promovet (3); antecedentia, concomitantia, subsequencia denique illius incommoda divellit.

De Balnearum in Partu utilitate.

Quæ de balnei necessitate in primâ partûs specie enarravimus; quanto majori de aliis sumus decantaturi? Enimverò nisi antequàm in matris partes manum solam vel instrumento armatam introducas, partes illæ sat laxatæ sint; quot horrenda post partum prouunt incommoda (4)! Intrâ 24 horas gangrænam occurrere multoties vidi; itaque antequàm imminet à pluribus diebus partum extractione absolvas; non neglectâ, si opus est, sanguinis missione, parturientes modò dictas, quantum fieri poterit, immergas; laxatis tunc à balneo partibus, victâ deni-

(1) Validiori quidem virente uteri nisu, V. Aph. de B. par Van-Swieten, p. 247, T. VII.

(2) V. Schenkus obs. med. L. 4, de Partu. Obs. 14. Harvée de generatione anim. Jean Matthieu. Quæst. med. 4. Ehrenf Hagendorn. Histor. med. Phis. cent. 3. Hist. 13, Georger Bethardingius, m. n. Dec 3 an. 7 & 8 app. 77, Vestingius obs. anat. 7. Idowolfius, obs. chir. med. L. 1. obs. 41, Journal d'Allem. Dec. 1. T. III. obs. 308. Hujus observat. auctor de amitâ suâ Histor. refert Bartholin. Hist. anat. p. 97. cent. 2. p. 304. celeb. Levret, l'Art des Acc. p. 70. Prægnantem sacrocæsariensi, gallicè *sancerre*, suspensam ego ipse vidi testor; cujus postridiè fœtum extinctum expulit uterus.

(3) Eâdem spe ducti balnea imperant Poloni, nec suam eorum spem fefellit eventus. Antiquiores suadebant. Sic sentit illustr. & nulli secundus de Haller, p. 434, apud Alepenses Russel. natur. Hist. p. 79, huc & Ægyptiæ.

(4) V. Van-Swieten, T. VII, p. 249, 269, 270, 271, pessimum præbet consilium D. Rhæderer. p. 218, lin. 19 & p. 445, lin. 9.

que earum rigiditate, calore, necnon inflammatione sæpiùs comite, victor extrahitur fœtus, salva emergit mater. Quot enim pereunt! Quot si serventur, horrendùm cruciantur incommodis, quæ nostro pacatam ætatem degerent!

VI

De uteri inflammatione & gangrænâ.

Ex naturâ suâ periculossimâ evadit uteri inflammatio, gangrænâ; quanta verò ipsius ignorantia nobis importat infortuniâ!

Quoties enim viri in arte medicâ vel peritissimi longè à sententiâ nostrâ discrepantes, febrem putridam, pectorisve inflammationem, tanquam præcipuos morbos asserebant, qui nil aliud nisi uteri inflammationis, abcessûs, aut gangrænæ symptomata exfurgebant (1)? Quæ quidem omnia obstetricanti soli, & quidem sagacissimo, cujus sub oculis ob diuturnum artis usum, causæ & signa morborum illorum versantur, evidentiùs innotescunt (2).

Causæ.

Inflammatio gangrænâque uteri proficiscitur ex partium mollium rigescentiâ, & eretismo; partu laborioso; uteri contusione, læsione, iterato sæpiùs tactu; nimia vi in partes molles illatâ (3); ictu; lapsu; uteri foras procidentiâ; extranei corporis in eo remanentis, & resistentis duritie; è nimio fœtu, necnon placentæ post ruptas membranas quiete; eorum corruptione (4); lintheorum post partum pondere, & solitatâ, sed sævissimâ fasciarum contrectatione; lochiorum suppressione (5); alimentis acerbis, & calidis, vel in partu vel post partum,

(1) Eo errore deceptum fuisse mihi videtur Van-Swieten, V. p. 270, T. VII.

(2) Qui artem obstetriciam non colunt, puerperis incommoda sæpiùs animo assequuntur; quod vidi testor.

(3) V. illustr. Smellie. Recueil XXVI, p. 499, obs. première, T. VII, obs. 8 & 10, T. III, p. 314 & 324.

(4) V. Hypp. de Mulier. morbis, L. 1. Cap. LI. Charter, T. VII, p. 757, ibid. Cap. 53, p. 758. Ibid. Coac. prænot. n°. 515. Chart. T. VIII, p. 828. Van-Swieten periculofam hæmorrhagiam, corruptionemque, aut sanguinis grumosi, aut placentæ in uteri cavitate post abortionem, & inde debilitatem, febrem acutam putridam, mortemque mulieris formidat. Historias enarrat. V. p. 124, 125, T. 7. Sed secundinarum detentione post partum maturum non æquè pertimescere videtur. Ne tamen eis credas qui placentæ egressum naturæ semper committere prædicant; erronea enim est illa methodus; consule potiùs celeb. Levret qui de hac re mirandas res decantavit; V. Essai sur... art. 15, p. 168.

(5) A celeb. Levret negatur & admittitur illa causâ, V. l'Art des Acc. p. 459, & Essai sur l'ab. p. 136.

vino, v. g. aquâ vitæ; aquâ carmelitanâ (1); ab irritantibus denique remediis quâcumque viâ adhibitis, suscitatur uteri inflammatio; nec eis confidas qui ad actionem uteri suscitandam orificii parietes digito irritari prædicant; hæc enim methodo accenditur uterus.

Cognoscitur ex minimo, vel nullo sanguinis post partum profluvio, (2) ex acerbissimo uteri dolore, necnon majori quàm par est ipsius tumore; aliàs tunc fertur orificium, indurantur, constringuntur, & urenti calore afficiuntur ipsius parietes; mulier magnum sentit gravitatis pondus in imo ventre, qui prætermodum intumescit, accenditur, qui vel minimâ pressione, diris doloribus cruciatur; quo tamen loco residet uteri inflammatio, injucundior abit sensatio; difficilè & laboriosè urinam & excrementa egerit puerpera; inflammatione, & gangrænâ sæpè laborat vesica, semper vagina.

Signa

Primis diebus, non nisi tertiâ quandoque properat febris; si tertiâ, horrore frigido, febris lactea dicta semper prænuntiatur, & quater quinquiesve, & suprâ, singulis diebus, præeunte semper horrore adveniunt exacerbationes, & lypothimix, magnâ spirandi difficultate, acerbissimo pectoris dolore, sanguinisque exspuitione vexatur ægra; superveniunt singultus, vomitus, putridum alvi profluvium, convulsio, delirium; arefcit & nigrescit lingua, debilitatur tandem, & post unum & quadraginta dies plerumque animam exhalat.

Symptomata;

In quibusdam tamen ingentem uteri dolorem subitò evanescere animadverti, & tunc puris maturi collectio extrâ suam sedem effunditur, aut in morbofo uteri puncto sistit sphacelum: febris tùm remitti videtur, sed non nisi indolem aliam vestit (3). Tranquilla mulier apparet, ab inexperto curationi fides adhibetur. Sed *Latet anguis in herbâ* (4).

In aliis verò, decipientibus intermissionibus, ad mortem usque prorogatur ille dolor, quibus ab utero ad intestina & omentum sæpiùs serpunt accidentia. Inflammatio quandòque, sed rarè induratione terminatur: indè timendum ne scirrroso tumore, aut carcinomate in-

(1) Publica dispereant scripta quibus legere est aquam carmelitanam partui summopere favere; dolus est hostilis.

(2) Parturienti curam dedi è cujus vulvâ ne vel minima post partum sanguinis effluit guttula.

(3) Ex inflammatoriâ fit putrida.

(4) Multas aliquot diebus ambulantes, & manducantes vidi, quæ paucis diebus lecto incumbabant lethali.

De Balneo
rum post Par-
tum utilitate.

ficiatur uterus; quod à multis immeritò insanandum asseritur (1).

Ut ea vitetur uteri inflammatio, necnon gangræna; in graviditate quandoque, sæpius in partu, semper & subitò post laboriosissimam parturitionem, prolatum à nobis (semi scilicet balneum) adhibendum est remedium.

Ad eam sanandam ne vel minimùm (2) vel indoctè (3) vel pertransennam (4) locuti sunt sanitatis præceptores. Perpauci hunc morbum ex-professò tractarunt (5); sed idem ipsi remedium nostrum quod unicum præstat, omninò neglexerunt. Enimverò diluentem diætam, refrigerantes potus; enemata lenientia; humorum redundantium egestionem; sanguinis missionem è brachio primùm posthàc è saphanâ; corporum ex utero extractionem præscribunt; non neglectis scilicet in ipsius cavitatem injectionibus, & in abdomine fomentis emollientibus (6); quæ omnia nullo modo sufficere testamur; nisi dum nulla, aut saltem levis uteri sit inflammatio; quapropter hunc morbum lethalem nuntiarunt omnes fermè auctores (7); quamvis illa summo-perè remedia suasissent; qui nostro tamen, (semi scilicet balneo) facillimè curatur.

Omnes reverà puerperas quibus sola curatio ab auctoribus prædicta, maximâ licèt vigilantia fuerit adhibita, uteri inflammatione, & gangrænâ enecatas annotavi; nostrâ verò, omnes salvæ fuerunt; indè & doctrinâ, & diuturnis observationibus, balnea prorsus his auxiliis anteponenda, ac meritò concludimus;

ERGO UTILIA IN GRAVIDITATE, PARTU,

ET POST PARTUM BALNEA.

FINIS.

(1) V. Hypp. Aph. XXXVIII, L. 1. Doct. Mauriceau, p. 288.

(2) De his morbis sæpè loquitur Rhœderer, nullo modo de curatione; V. p. 218 ad 222, 262, 444, 464, obs. VIII, quâ ex ulcere inycerato mortem affirmat; dum ab inflammatione & gangrænâ recentiori proficisci mihi videtur, p. 542, obs. XIX.

(3) V. Lazar. River. renov. p. 242, Pars secunda.

(4) V. celeb. Levret. l'Art. des Acc. p. 104, 105, 107 & 460.

(5) V. Doctif. Mauriceau, p. 287. Cosme Viardel. p. 300 & seq.

(6) V. Auctores jam citat. celeb. Levret. l'Art des Acc. p. 460.

(7) Doct. Maur. p. 346, celeb. Levret. Essai sur... p. 136.